

Scriptores Sacri retinent nomina Syriaca, Ægyptiaca, Persica &c. Et si nomina illa vel maximè invariata non relinquuntur, sed parumper tantùm ad lingvæ suæ flexionem accommodata mutantur, tamen suam originem primam minimè negant. Nostræ etiam sententiæ adstipulantur ferè omnes Doctores tam Ebræorum, quàm Christianorum, quorum longus Catalogus videri potest in *Dissert. 1. Dissert. Philologico-Theol. Buxtorf. Conf. etiam Magnif. Dn D. Calov. in Critico S. Diatr. 3. p. 75. & in Bibl. illustr. ad Gen. XI. p. 270. seqq. Venerandum Seniores nostrum Dn. Sennertum in Dissert. de Lingv. Ebr. p. 14. & Pfeiff. in Dissert. de Lingva Protopl. nec non Quest. 3. Diss. 1. Synopsis. nob. atq. s. l. è Phil. S. Quest.*

§ 6. Cùm itaque constet, lingvam primam & antiquissimam, quæ sola ante confusionem Babylonicam viguit, Ebraicam esse, porrò dispiciendum, *an etiam, & ubi illa in & post confusionem lingvarum manserit?* Quòd enim certo Dei consilio, & sapienti ejus providentia, alicubi & inter quosdam salva & superstes manserit, de eo cùm experientia ipsa testetur, & testata sit, nullus dubitationi locus restat.

§ 7. Putant nonnulli, Lingvam Ebræam in multis familiis & locis, ut in *Syria, Assyria & terra Chanaan ac in posteris Chami* incorruptam mansisse. Et hujus sententiæ sunt *Gilb. Genebrardus in Chronol. sua Lib. 1. p. 33. Joseph. Scaliger in Epistola quadam ad Richardum Thomsonum, & in alia ad Stephanum Uberrum. Thomas Erpenius in Oratione de Lingva Ebræa, & alii, qui tamen ipsi non concordant inter se, sed maximè variant. Quia verò prolixè hâc de re egit & ei satisfecit Cl. Buxtorf. in Diss. 3. Dissert. Philologico-Theol. actum agere nolumus.*

§ 8. Sed nos dicimus, Lingvam hanc Ebræam *in unâ tantùm certâ familia* in & post confusionem esse conservatam, quæ juxta communem Doctorum tam Ebræorum quàm Christianorum sententiam *Eberi* fuit, Schemi pronepotis. Hæc namque familia non consensit in impium & flagitiosum fabricum Babylonicorum consilium, ut infra videbimus: quapropter probabile non est, illam pœnam illorum expertam esse, quorum culpæ se non reddidit participem. Neque etiam tempore confusionis fuit dispersa more aliarum familiarum per terras, sed inconcussa tunc in suis sedibus permansit, donec Abrahamus speciali vocatione inde evocatus fuit.